

V C  
3730



h



h. 32<sup>6</sup>, 12.



Serenissimi  
ac potentissimi Principis ac  
Domini

DN. FRIDERICI  
Regis Bohemiæ,

Comitis Palatini ad Rhenum & Electoris, Du-  
cis Bavariæ, Marchionis Moraviæ, Ducis  
Silesiæ & Lucemburgi, Mar-  
chionis Luta-  
tiæ & c.

RATIONES:

*propter quas Regni Bohemiæ & reliquarum  
provinciarum gubernationem, una-  
nimi electione oblatam,  
suscipere voluerit.*




---

Anno M. DC. XIX.



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)



**N**OS FRIDERICUS DEI  
gratiã, Rex Bohemiã, Comes Palati-  
nus ad Rhenum & Elector, Dux  
Bavariã, Marchio Moraviã, Dux  
Silesiã, & Lucemburgi, Marchio Lusatia & c.  
*deferimus universim singulis, ac singillatim uni-  
versis, Christianis Regibus, Electoribus, Prin-  
cipibus atq; Statibus officia nostra promptissima,  
amorem, favorem ac gratiam: simulq; significa-  
mus: Nos nullo modo dubitare: quin omnibus  
non modo Imperii Romani incolis ac Indigenis,  
sed & Alienigenis probè sit cognitum ac perspe-  
ctum: in quàm miserabilem periculosumq; statum  
illud antiquissimum, laudatissimumq; Regnum  
Bohemiã, & Sacri Romani Imperii membrum  
præcipuum, unã cum annexis aut incorporatis  
provinciis, finitimisq; aliis Regionib; pervenerit.  
Quis enim est, qui non viderit, aut à videntibus  
non perceperit; quantis persecutionibus, acerbi-*

A 2 tati

tatibus quantis, quàm hostilibus crudelissimisq;  
vexationibus Regnum illud hætenus fuerit ex-  
positum? nullum finem habentibus rapinis, cædi-  
bus, incendiis, depopulationibus, tot quoq; Chri-  
stianorum hominum cruentâ internecione, Ma-  
tronarum pariter ac Virginum raptu atq; debo-  
nestatione, parvulorum deniq; & lactentium  
laniatione, cæterisq; inhumanis, atrocibus ac pla-  
nè barbaris flagitiis, summâ petulantia & effre-  
natâ audaciâ commissis. Cujus quidem miseriæ  
ac calamitatis, malorumq; omnium, quæ inde &  
hætenus promanârunt, & porrò oriri possunt,  
causa & origo non modo ex rebus gestis hoc tem-  
pore, sed etiam variis ex argumentis probatisq;  
deductionibus publico juri datis facile intelligi  
cognosciq; potest. Immò tam manifestò li-  
quent omnia: ut eos etiam, quorum consilio, re,  
atq; operâ maximi potentissimiq; Principes de in-  
dustria seducti, in præsentissimum periculum ac  
detrimentum jam inciderunt, in corde proprio  
propriâq; conscientia convictos esse oporteat.

Jam

Fam verò in ultimâ hac seculorûm periodo, ubi in  
Religionis fideiq; negotio diversæ opiniones &  
dissensiones exstiterunt, deprehensum cognitumq;  
est: quod sacrarum literarum vigore, Doctorumq;  
veterum posito jamdudum fundamento solidiore,  
hominum conscientia adurgeri, cogi, ligariq;  
nec possint, nec debeant: Sed quoties compressio  
& vis aliqua ejusmodi vel clandestinis consiliis,  
vel apertis molitionibus, intentata fuit: quod res  
universa malè gesta in celeberrimis regnis &  
provinciis causa fuerit maximarum mutatio-  
num. Nihilominus, postquam in Im-  
perium præsertim Nationis Germanicæ, ei-  
demq; conjuncta aut vicina Regna & Regio-  
nes irrepserunt homines quidam peregrini: qui  
peculiari quâdam ratione ac viâ novum, ac si à  
calce ad caput illud examines, omnibus Principi-  
bus ac Magistratibus vehementer exitiosum  
doctrinæ genus introduxerunt: quiq; non modo in  
maximorum Principum noticiam, & penè a-  
morem familiariter se insinuârunt: verum  
etiam

etiam eorundem Consiliarios, munerumq̄ publi-  
corum functionibus Praefectos, & ut uno verbo  
dicamus, omnes omnium locorum locupletissimos  
& praecellentissimos, sub specie quadam sancti-  
moniae, in suam adduxerunt sententiam: factum  
tandem est: ut hominum istorum pertinax ille,  
& zelo quodam corroboratus animus, quo non  
premere modo & affligere omnes eos, qui ab Ec-  
clesiae Romanae sacrariis deflexerunt, sed & nisi  
se se accommodaverint, prorsus e medio tollere  
voluerunt, maximè fuerit adhaerens. Inde etiam  
hoc provenit: Etiam si in tantà Religionis varie-  
tate, tam in Romano Imperio, quam in Regno  
Bohemiae singillatim laudatissimi illi Principes,  
qui annis superioribus rerum potiti sunt, omni studio  
atq̄ operâ eniti voluerint: ut pro communis pacis  
& tranquillitatis cōservatione, docētibus id ipsum  
datis confirmatisq̄ concessionibus, pactis & decre-  
tis, æquale æquilibrium inter Romanistas &  
Orthodoxos, seu ut vocant, Evangelicos obser-  
varetur: successores tamen (sine ullo dubio ma-  
gis



gis ex quâdam informatione, quam naturali inclinatione) perniciosis illis hominibus horumq<sup>3</sup> complicibus tantam agendi potestatem volentes nolentes permiserunt: ut multa mutanda censuerint: proq<sup>3</sup> lubitu mutârint; & non tantum scriptis publicis omnes Religionis concessiones, pacta, iisdemq<sup>3</sup> accommodatas obligationes & juramenta, per disputationes periculosas in dubium vocârint: verum ipso etiam factô eadem infringere, extinguere, & funditus delere conati fuerint.

Fam verò neq<sup>3</sup> hoc tempore, neq<sup>3</sup> hoc in loco ea, quæ à multis retrò annis in Romano Imperio excogitata, volutata, destinata & peracta fuerunt, neq<sup>3</sup> quanto adhuc in discrimine illud ipsum versetur, percensebimus: quandoquidem id alibi evidentissimis probationibus ostensum est: & brevi opportuno loco & tempore plenius fidem atq<sup>3</sup> auctoritatem suam consequetur.

Quod verò in specie laudatissimum Boëmiæ Regnum, eidemq<sup>3</sup> incorporatas provincias & regiones concernit, sine ullâ dubitatione atq<sup>3</sup> contro-

troverſiã eſt notiſſimum: quod in illis Romanæ  
Religionis errores indies cogniti & depræhenſi  
fuerint: & quod lucidiſſimũ jubar ſacroſancti E-  
vãgeliĩ latè ſeſe diffuderit: & magnæ inde diffi-  
cultates ſæpiſſimè exſtiterint: quodq; tandẽ nulla  
alia media & remedia accommodatiora fuerint:  
niſi ut animo connitendum ſummoq; labore con-  
tendendum fuerit: quã ratione per certa compa-  
ctata, conceſſiones & Chriſtianæ Religionis li-  
bertatem, aurea pax conſervari, illudq; effici po-  
tuerit, ne ob ſententiarum in religione discre-  
pantiam, tuta cohabitatio, publica tranquillitas,  
& communis humani generis ſocietas tollatur  
aut dirimatur. Quandiu igitur omnia  
in terminis hiſce præſtitutis permãſerunt: tam-  
diu floruerunt & felicia fuerunt omnia. Ve-  
rũ antea nominati bilioſi homines hunc quie-  
tum tranquillumq; ſtatum diutius ferre non po-  
tuerunt: ſed, uti dictum, prius extrema quæq;  
tentare, omniaq; in ſummum periculum, & velut  
aciem novaculæ deducere maluerunt: antequam  
à con-

à conceptâ illâ altissimeq<sup>3</sup> infixâ sententiâ disce-  
derent: quâ omnia sub Pontificis Romani ju-  
gum spirituale, tandemq<sup>3</sup> sub peregrini Magi-  
stratûs potestatem, politicumq<sup>3</sup> dominatum redi-  
gere voluerunt. Inde mala plurima proflu-  
xerunt: Religionis gravamina in Regionibus  
quotidiè passim excreverunt: contra literas Ma-  
jestaticas variæ fraudes & factiones, cum tem-  
plorum novitèr ab Evangelicis ædificatorum  
destructionibus, cum eorundem obsignationibus,  
cum defensionum concessarum mediis subtrahen-  
dis, cum barbaricis horrendisq<sup>3</sup> subditorum perse-  
quutionibus instituendis, cum metu maxima-  
rum miseriarum ac ærumnarum injiciendo, cum  
ignominiâ periculoq<sup>3</sup> capitis, cum facultatum,  
rerum, ac fortunarum naufragiis, contra superio-  
ris ac inferioris conditionis homines excogitatæ  
sunt, & re ipsâ adhibitæ.

Quando verò violentis illis invasionibus  
jus Naturæ legibus concessum, aliaq<sup>3</sup> defensio-  
num media, necessitate summâ urgente, Status

B.

op-

opponerent: (id quod ex plurimis, iisque solidissimis eorum scriptis jam in lucem editis, penitissime cognosci potest) tum crudelitate armorum, belliq; publici furore hostili omnia sunt adimpleta: Sic etiam, ut nunc ipsum Bohemiae Regnum, & annexae provinciae, finitimaeq; Regiones praestantissima, magna ex parte, flamma & ferro vastatae, perditae, excisae, atq; veluti in cineres redactae, jaceant: quod omnium oculis summa cum aegritudine est obvium.

Immò cum Regiones illae à multis, praecipue verò à proximis annis, contra communem Christiani nominis hostem ferocissimum, Turcam nimirum, in Regno Hungariae, in primis verò ad propugnaculorum, locorumq; limitaneorum conservationem & protectionem, quicquid opum & sanguinis prope haberent, liberalissime profudissent: tum profectò ad ea extrema per ventum est: ut propugnacula illa omni praesidio militari, omnibus tormentis bellicis, omniq; munimine fuerint denudata: & ea, quae contra hostem  
Tur-

Turcicum erant destinata, in his turbis contra gentem Boëmicam sint adhibita.

Nibilo autem minùs in Romano Imperio non solum eæ contributiones, quæ ad bellum Turcicum provehendum promissæ quidem, sed nondum exsolutæ fuerunt, rigidè sunt exactæ: sed etiam in Circis quibusdam, nominatim ad conservationem & protectionem propugnaculorum, subsidia pecuniaria, & nova contributionum genera sunt rogata & impetrata: quæ tamen non ad hunc finem, qui initio prætendebatur, sed ad devastationem membrorum Imperii & adhærentium, sunt adhibita.

Hinc factum est: ut non modo Christiani orbis propugnacula quasi sint rupta, & ad extremam ruinam directa: verùm etiam Hungarica Natio, ut nunc suæ salutis, conservationi ac quieti magis consuleret, adducta sit atq; impulsæ.

Iam omninò confidimus, in universo Imperio notum ac manifestum esse: quâ ratione in tam periculoso & omni opinione latius disseminato ma-

lo, Nos, unà cum cæteris quibusdam Electori-  
bus, Principibus & Magistratibus superiori-  
bus, surgente ac fervente hoc incendio pernicio-  
sissimo, vigilaverimus: & fidelissimas atq; ex  
candido animo profectas admonitiones, & debi-  
tas intercessiones adhibuerimus: ut per leniora ac  
faciliora media & pacta hoc malum avertere-  
tur. Multis etiam partibus id maluisse-  
mus atq; exoptassimus: immò hoc ipsum tempe-  
stivè humaniterq; suavimus: ut hæc inter Ma-  
gistratum & eidem subjectos Statüs subortæ dif-  
fensiones, mediantibus ipsis Regionibus, more  
majorum laudabili, sine ullis ambagibus, statim  
sopitæ ac sublatæ fuissent: cum præsertim expe-  
rientiâ teste sit indubitatum: litium ejusmodi  
compositionem ad potentissimos, & propter loci  
intercapedinem longiùs semotos Principes devo-  
lutam, causam fuisse: ut multum temporis trans-  
mitteretur: malum ipsum viribus incremen-  
toq; augetur: & ad ulteriores moras & consi-  
lia alia, quasi fenestra aperiretur.

Omnes  
verò

verò circumstantiæ attestantur: quam levi brachio opus illud interpositionis fuerit pertractatum. Nam in puncto suspensionis armorum non tantum multi menses præteriere: & hostes interea acerbissimis crudelissimisque molitionibus perrexere: verum etiam in ipso interpositionis opere provehendo, tot tantæque deliberationes multum temporis insumere: cum tamen in tali rerum facie, & quando hostiles offensiones & incursiones crescunt, multò alia, & quidem maturiora auxilia sint necessaria. Simili modo planè fuisset impossibile: ut sine armorum suspensione, & hostilium incursionum aversione, & sine sufficienti datâ asssecuratione, per interpositionem quicquam cum singulari fructu emolumentoque perageretur. Et quid multis? post obitum Divi MATTHIAE gloriosissimæ memoriæ, occasiones ad pacem reparandam exoptatissimæ omninò sunt neglectæ: quod sine ullo dubio ex eorum hominum instinctu factum est: qui finem suum non amicabili quadam compositione

posi-

positione & reconciliatione, sed armorum vi & cruentâ hominum internecione, consequendum duxerunt.

Rebus enim ita fluentibus, nulla consilia salutaria, quæ de animis exulceratis necessario placandis, ab indigenis fidelissimisq; civibus, vel etiam à summæ dignitatis atq; eminentiæ viris data sunt, sed potius Regni Boemiæ hostium, iniquorum Patriotarum, & planè extraneorum hominum, aut ab iis dependentium monita fuerunt approbata.

Hinc adeo factum: ut cum re ipsâ iis satisfaciendum esset, quæ ad securitatem plenissimam regionum ex pactis & conventis omnino præstanda erant, tantum membranaceæ pollicitationes & scriptæ confirmationes sint oblatae.

At interim & pari quidem passu, audacter captatae sunt viæ & occasiones: quibus Regnum occupari posset per vim, per bellicas persecutiones, perq; impetûs hostiles: quibus leges fundamentales, privilegia, consuetudines, tanquam obligationum omnium fundamenta ac cardines sepo.



seponi; quibus Regiones liberrimam electionem habentes, tanquam hæreditariæ æterno jugo sub- jici, omnia pererrumpi; & sub specie puniendorum aliquot fontium, multa insontium millia occidi, trucidariq; possent. In quem finem mili- tes extraneos, & omnibus doctrinæ Evangelicæ addictis infensissimos pedites & equites magno numero, multisq; millibus, & integris legionibus, sub alio prætextu, per Romani Imperii ditiones (quod tamen sine Electorum consensu, Romanus Rex aut Imperator facere nequaquam potest) in Boëmiam & adnexas Provincias deduxe- runt: qui ausu nefario quæq; facinora perpetrâ- runt: & ex deprædationibus, rapinis, atq; com- pilationibus suas copias auxerunt. E con- trario, si pro declarando pacis studio serio, à prin- cipio arma fuissent seposita: si horum tumultuum autores remoti, si Regionum ipsarum, pro regi- minis correctione, & in melius commutatione, itemq; coaceruatorum gravaminum amotione, consilia fuissent expetita; si privilegia multis modis

modis debilitata iterum flori & nitore restituta; si insuper cautionum sufficientissimarum beneficia oblata fuissent; sine quibus reliqua omnia exstitissent frustranea: tum facilime pax reparari, & reliquæ difficultates & mutationes omnes evitari potuissent.

Quoniam verò hæc omnia neglecta, & potius contraria sunt exhibita: ideoq̄ tandem aliquando tot miseris excruciatæ, pressæ, & ad extrema quæq̄ redactæ Regiones hanc viam sunt ingressæ: quâ præter supraq̄ modum adaucta gravamina de cervicibus suis dejicerent: legitimamq̄ divinis & naturalibus juribus concessam defensionem firmarent, stabilirent, & proveherent.

Quem in finem Regiones omnes novam confœderationem (antea quoq̄ Regiis verbis promissiam) inter sese conjunctim erexerunt: eaq̄ in luculentam consonantiam erectâ ad plenariam Regiminis emendationem atq̄ immutationem, tandemq̄ ad novi Regis & Capituli electionem processerunt.

Cujus

Cujus rei fundamenta & rationum momen-  
ta ipsi Statūs Regni nostri Boëmiæ & Provin-  
ciarum tam firma, tamq̃ solida induxerunt: &  
per typum publicum oculis omnium subjecerunt:  
ut illi omnes, qui abjecto conceptorum affectuum  
præjudicio omnes circumstantias pensita verint,  
facilimè rei evidentiam sint perspecturi.

Iccircò nos hoc in loco satis deducta amplius  
non deducemus: multò minus jura & privilegia  
Regni, omnemq̃ liberæ electionis in Regno  
Boëmiæ rationem hîc copiosè inseremus: quin po-  
tius universos ad Statuum scripta divulgata, &  
jam nominata remitemus.

Sed dum hæc ita sunt gesta, recordamur etiam:  
interea Regiam Electionem Francofurti ad  
Mœnum fuisse institutam: ubi Nos pro viri-  
bus nostris, unà cum cæteris Coelectoribus secu-  
laribus fidelissimè suavisimus: ne ipsa nimium præ-  
cipitaretur: Sed ante omnia passim adhuc gliscens  
belli incendium exstingueretur.

Quin & Francoforti, quod antea diximus,  
C sæpè

sæpè per nostros ablegatos Consiliarios moneri curavimus : ne Statuum Boëmiæ Legati, uti quidem factum, rejicerentur : sed ut per eos viæ ad præstitutam illam, & quasi præformatam interpositionem sternerentur.

Quia verò his consiliis benevolis locus nullus relictus fuit : toti quidem huic negotio cursum suum permisimus : interim tamen per ablegatos nostros in omnibus, quicunq; celebrati fuerunt actibus, suum cuiq; jus sartum tectumq; per expressum reservavimus : hocq; modo ne harum Regionum Status ullâ in re præjudicio aliquo onerarentur, præcavimus : & propterea sæpius protestationes nostras interposuimus : tandemq; in cæteris etiam summâ attentione ea observari curavimus : quæ pro nostro ingenio, nostrâq; conscientia Imperii libertas ac salus postularret.

Atq; hæc quidem non fecimus ideò : quod privati cujusciam commodi emolumentiq; spe illecti fuerimus : nihil enim eorum, quæ postea evenerunt, nobis tum fuit cognitum : sed quod  
tan-

tantam mutationem, quam nos promptissimo ani-  
mo avertissemus, tempestivè metuerimus: quem  
metum non fuisse vanum, ipse eventus paulò post  
satis superq̄ docuit.

Posteaquam verò in electione novi Regis  
Boëmiæ ab istius Regni & Provinciarum  
Statibus, à quibus hoc nomine generalia Comitia  
celebrata sunt, unanimi consensu Regnum illud  
nobis delatum est: primò omnium adfirmamus  
sanctè, Deo & conscientia nostrâ testibus: Nos  
Electoralis dignitate, iisq̄ Ducatibus ac Regio-  
nibus, quas Deus opt. max. nobis per hæredita-  
tem paternam gratiosissimè largitus est, semper  
contentos, nec ampliorum honorum aut bonorum  
cupiditate incensos fuisse: multò minus sæpè jam  
dicto Boëmiæ regno nos obtrusisse: aut eo nomine  
aliquid suspecti egisse: cujus innocentia testimo-  
nium, qui Nos elegerunt, Statûs ipsi mente  
ac voce unanimi Nobis perhibuerunt: & etiam  
nunc perhibere possunt: quandoquidem in tanta

rerum omnium perturbatione nec causas vidi-  
mus: ob quas tale quid desideraremus: Sed Nos  
omni conamine votoq<sup>3</sup> maluisse: ut non modo his  
in locis pax dulcissima reparari; verum etiam  
hoc pacto ipsum Imperium in majori tranquillita-  
te & tutiori securitate conservari potuisset.

Nam facili conjecturâ assequi possumus:  
quanta rebus bellicis sic stantibus & devastatis  
nunc regionibus onera, quantæ curæ, quantæ mo-  
lestiæ, quanti labores, quanta deniq<sup>3</sup> pericula no-  
bis incumbant: ut plura alia, quæ in isto genere  
prudenter considerari possent, jam prætereamus.

Neq<sup>3</sup> ullo modo dubitamus: quin sapientio-  
res sint arbitraturi: difficilioris considerationis,  
& velut longioris subsellii rem esse: an quis  
regnum, si offeratur, suscipiat ita turbatum &  
devastatum; quam recuset pacatum: quo qui-  
dem nomine nonnulli in historiis magnoperè com-  
mendantur.

Deinde attestamur purissimâ conscientia:  
si ulla

si ulla via aut certa quæpiam ratio nobis fuisset  
perspecta: quâ Coronam Sceptrumq; nobis re-  
pudiantibus, infelix hoc bellum è vestigio sopiri,  
pax nobilissima restitui, & firmitèr conservari,  
deq; his omnibus toti Romano Imperio fides  
præstari potuisset: Mundi dignitates omnes,  
omnesq; divitias abripere animum nostrum  
non debuisse: Sed nos Regnum Bohemæ ob-  
latum, tum non modo planè recusare, verùm  
etiam quicquid nostris viribus ac opibus effice-  
re potuissemus, id omne in rem eam liberaliter  
conferre voluisse.

Neq; arduo in hoc negotio quicquam præ-  
cipitantèr egimus: sed præ omnibus **DEVM**  
præpotentem illum, qui regna aufert, transfert,  
& alteri suo pro arbitrio concedit, devoto ani-  
mo invocavimus: & humilimè rogavimus: ut  
in hac causâ rectissimum velle nostro pectori in-  
sereret: omnia etiam Dominis & amicis nostris  
fideliter communicavimus: tandemq; examina-  
tis

tis circumstantiis omnibus in hoc toto negotio  
DEI mirabilem providentiam, manumq; poten-  
tissimam deprehendimus. Ideoq; divinæ  
ipsius voluntati vocationiq; ullo modo repugna-  
re nec potuimus, nec debuimus: cum præsertim  
cogitationibus nostris complecti nil possimus a-  
liud: quam sæpè nominatos regni Boëmiae &  
provinciarum Statûs multas præclaras, firmas,  
justas & prægnantes causas habuisse: cur regi-  
minis mutationem suscipiendam duxerint: curq;  
libertatem suam, ac vetustam satisq; notam ele-  
ctionem liberam, quæ mirabili cothurno vexa-  
ri, & penitus auferri visa est, paulò certius sta-  
bilire voluerint.

Ex quibus manifestum clarumq; est conside-  
rantibus: causam hanc per se satis esse legitimam,  
Christianam atq; laudabilem: eamq; variis exem-  
plis, ex historiarum sacrarum profanarumq; mo-  
numentis petitis facilimè comprobari posse.

Neq; verò hâc ratione, contra fas æquumq;  
Alteri



Alteri suum detrabere, aut detinere volumus:  
quin potius hoc unicum nobis est propositum: ut  
eos, qui suam libertate, privilegiis, literis Majesta-  
ticis, expeditoq<sup>3</sup>, soluto, libero, nullaq<sup>3</sup> re implicato  
Religionis Evangelicæ exercitio, aliisq<sup>3</sup> consue-  
tudinibus æquissimis gaudere debent, adversus  
omnes imminentes injurias, vimq<sup>3</sup> illatam tuea-  
mur, conservemus, & tam præcellentes provin-  
cias, multaq<sup>3</sup> millia honestissimorum hominum, à  
vexationibus, pernicie atq<sup>3</sup> exitio, quantum qui-  
dem in Nobis situm fuerit, quantumq<sup>3</sup> virium  
ac felicitatis DEVS nobis concefferit, eripiamus  
& defendamus.

Iccircò firmiter speramus: cum nos neq<sup>3</sup> ter-  
restria gaudia, neq<sup>3</sup> voluptatum blandimenta,  
neq<sup>3</sup> alia emolumenta nobis proposuerimus: sed  
potius solam divini Numinis gloriam, salutem  
publicam, pressorum hætenùs solatium, defensio-  
nem & conservationem respexerimus: & tot  
piorum hominum gemitùs ac suspiria, non sine  
singula

singulari affectu, ad animum revocaverimus:  
DEVM fidelissimum nos hac in causa non de-  
serturum: sed, contra omnium hominum cogitata,  
coelitus adjumenta largiturum: ut ipsius ope ac  
praesidio id exsequamur & perficiamus: quod di-  
vina ipsius providentia & omnipotentia, pro in-  
comprehensibili sua sapientia, jamdudum decre-  
vit. Et hoc a nobis negligendum non est:  
nisi nostram conscientiam onerare, aut irati Nu-  
minis poenas nobis velimus arcessere.

Hoc etiam porro perpendimus: Si DEO ad  
hoc munus nos vocanti non paruissemus: tum  
Nobis culpa omnis profusi in posterum sangui-  
nis & Regionum devastatarum, ab Evangelicae  
potissimum Religioni addictis, dubio procul im-  
putata, immo & occasio data fuisset: ut, si adver-  
sarii in praestitutâ & ante oculos versante Gen-  
tis Boemicae, & confederatarum oppressione, fi-  
nem suum consequuti fuissent: illi ipsi & contra  
Nos, aliosq; Statûs Evangelicos in Imperio,  
arma

arma in manibus adhuc calentia converterint, idq̄ egerint, ad quod ipsi à sæpè jam nominatis hominibus biliosis, per scripta etiam publica, assidue incitantur, & ita instigantur: ut etiam innocentes parvulos, liberos proprios, illustres familias, earumq̄ Regiones & Subditos, impunitos dimittere nequaquam debeant: quemadmodum quam plurimæ istiusmodi minæ passim audiuntur.

Præter hæc omnia, potissimum hoc in genere expendendum Nobis probeq̄ cogitandum fuit: laudatissimum Boëmiæ Regnum, & adnexas Provincias nobilissimas, planè eximium membrum Imperii, & quasi propugnaculum esse adversus exteras Nationes.

Si igitur illis citissimè commodioribus rationibus auxilia non fuissent lata: facilimè eum in statum devenire potuissent hæc terræ: ut vel sacro Germanorum Imperio detractæ; aut in multiplicia pericula, unà cum vicinorum Electorum

D

&

& Principum Regionibus, fuerint coniectæ.  
Quod ipsum etiam propter nostrum Electoratum,  
& Ducatum superioris Palatinatûs, eò minùs  
permittere potuimus, neq; etiam debuimus, non  
solùm propter illam obligationem fidemq; quâ nos  
Imperio, Patriæ nostræ carissimæ, obstricti &  
devincti sumus: sed etiam propter antiquissimam  
illam Unionem hæreditariam: quam Electoratus  
& Palatinatus noster cum Regno Boëmiæ ha-  
buit, ut ita pro hujus Regni salute, ex adductis  
rationibus eò vehementius laborare nos oportue-  
rit: spem certissimam foventes: neminem proposi-  
tum nostrum improbaturum: si modo singula, ut  
in rei veritate sese habent, sine affectuum præju-  
dicio pensitaverit. Ergò in supremi Nu-  
minis nomine, ad propagationem ipsius gloriæ  
sanctissimæ, ad tam graviter pressorum solatium  
& præsidium, ad conservationem publicæ liber-  
tatis ac salutis, multisq; ex aliis rationibus præ-  
gnantibus, ad multiplices Statuum Boëmicorum  
& Pro-

Et Provincialium, nobis missas subjectissimas  
humilimasq; literas, amplissimas legationes, gra-  
vissimas rationes, ardentissimūq; desiderium ex-  
plicatum, Nos ipsorum unanimi consensu oblata  
Electionis suffragia approbavimus: Et Coro-  
nam Regimenq; laudatissimi Boëmiæ Regni, &  
adnexarum Provinciarum atq; Regionum acce-  
ptavimus & suscepimus: simulq; cum amantissimâ  
nostrâ Coniuge, Principissâ Magnæ Britanniaë  
Dei beneficio, huc Pragam Ipsi venimus: ubi pau-  
cis diebus post, uterq; cum unanimi consensu &  
approbatione Statuum omnium, cum magno ad-  
plausu universi populi, adhibito usitatarum solen-  
nitatum ritu, coronati, hocq; modo in Regium  
thronum collocati sumus.

Hunc omnipotens ille per brachium suum  
potentissimum Nobis confirmet & stabiliat:  
sanctumq; suum Spiritum, suamq; benedictionem  
largissimè tribuat: ut totum hoc Regimen ita  
teneamus: quò Dominus dominantium, Salva-

tor noster *JESVS CHRISTVS*, Nos, nostrosq<sup>3</sup> Subditos regat: ac utrosq<sup>3</sup>, pace vigente, regnoq<sup>3</sup> florente, diutissimè conseruet.

Testamur præterea coram *DEO*, mundoq<sup>3</sup> universo: nos in totâ hac gubernatione, firmum constansq<sup>3</sup> habere propositum, nemini Religionis gratiâ ullum negotium faceßere: adeò ut ne quidem eos, qui etiam num Romanum Pontificem Caput Ecclesiæ agnoscunt, affligi, opprimi, vel etiam in usitato Religionis exercitio turbari, passuri simus: modo & ipsi secundum Regni Regionumq<sup>3</sup> instituta, præcipuè verò secundum literas Majestaticas, Religionis causâ datas, pacificos sese præbuerint: nihilq<sup>3</sup> quod animadversione dignum sit, admiserint. Quo nomine jam multi Catholici in Regno Bohemiæ & adnexis Provinciis, erectam defensionis confœderationem, mediante jurisjurandi fide, & nominis manusq<sup>3</sup>; subpositione agnoscunt: electionem & coronationem nostram approbant: & ad omne obse-

obsequium Nobis præstādum sese obligaverunt.  
Conclusum insuper ratumq̄ habemus: Nos sum-  
mo studio diligentiaq̄ summā eò laboraturos  
esse: ut non tantū in nostro Regno Bohemiæ  
incorporatisq̄ provinciis, nobilissima Pax pri-  
mo quoq̄ tempore, DEI beneficio, recuperetur,  
& omnia belli incommoda avertantur: sed & in  
Imperio ipso major benevolentiae mutuae fiducia  
plantetur: & omnia in posterum pericula aver-  
tantur: si modo nostræ sententiæ aliorum etiam  
voluntas responderit: nec alij ad majores turbas  
ansam præbuerint.

Omni deniq̄ operam in eo studio consume-  
mus: ut cum omnibus Christianis Regibus, Ele-  
ctoribus, Principibus & Statibus, finitimis po-  
tissimū, optimam voluntatis significationem, a-  
micitiam, societatem, & fidem, quantum quidem  
in nobis est, foveamus & conservemus: eā spe  
freti certissimā: illos ipsos pari benevolentiae affe-  
ctu Nobis responsuros, & auxilia sua contra ad-  
ver-

versarios, & eos, qui Nobis, Regno nostro, no-  
strisq<sup>3</sup> Provinciis, damna hostilia inferre volūt,  
consilio factōq<sup>3</sup> ipsolatuos esse: quo nomine in  
præsens ipsos pro nostro amore, favore & cle-  
mentiâ rogatos volumus.

Nos vicissim unicuiq<sup>3</sup> obferimus ea omnia,  
quæ prorenatâ in nostris viribus ac facultati-  
bus fuerint. Et hæc omnia rebus sic stantibus,  
& in periculoso hoc temporum statu literis hisce  
publicis significandū esse duximus: quæ dabantur

Pragæ in Arce nostrâ Regiâ  $\frac{5. \text{Calend.}}{\text{Nonis}}$  Novemb.  
Anno 1619.



mc



ro, no-  
solūt,  
ne in  
cle-

nia,  
tati-  
ibus,  
hisce  
ntur  
mb.



~~7~~ 3720 ~~OK~~

776



ULB Halle 3  
004 808 185



V017





h. 32<sup>1</sup>/<sub>2</sub>, 12.

DN

Comitis  
cis Bav

propter  
pro

ICI

toris, Du-  
x, Ducis  
ar-

liquarum  
una-

V c  
3730

